



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 3. Quænam requiruntur ad acquirendum Dominium?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

exponere, quando id necessarium est ad bonum commune, & interficere homines sceleratos, ut custos tranquillitatis & boni publici; sicut homo, ut custos vitæ suæ, potest resecare membrum putridum, & exponere partem pro salute totius.

Resp. V. Ex communi, homo est verè Dominus suæ famæ, & honoris: nam homo famam propriâ industriâ, virtute, ac labore sibi acquirit, & auget; potest eius restitutionem condonare; & in multis casibus potest se ipsum infamare ob iustam causam, v. g. ad sui humiliationem, ad coërcendam superbiam, ad restituendam famam alteri, ad Dei misericordiam commendandam. Non tamen licet se ipsum infamare sine rationabili causa; nam esset contra rectam rationem & illud Eccli. 41 ... *Curam habe de bono nomine.*

Q. 3. *Quænam requiruntur ad acquirendum
Dominium?*

Resp. I. Ad acquirendum Dominium rei, quæ nullius est, sufficit sola rei apprehensio facta animo illam faciendi suam, quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. l. 3. ff. de Acquir. rer. Domin. Nisi aliter speciali aliqua lege, vel consuetudine statutum sit.

Resp. II. Ad acquirendum dominium rei, quæ habet Dominum, Jure naturæ sufficit mutuus consensus signo externo expressus; sed

Jure

Jure positivo duo ordinariè requiruntur, scilicet titulus, & traditio, ex l. 20. Cod. de pact. Traditionibus Dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. juncta Lege. 31. ff. de Acquir. rer. Domin. Nunquam nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.

Titulus autem est fundamentum domini, ac radix, sive ratio, & causa propter quam Dominium alieni competit, ut venditio: per eum tamen non habetur dominium, aut jus in re, sed solum jus ad rem, nisi accedat traditio, quæ est veluti conditio requisita à jure, ut vi tituli acquiratur dominium. Traditio verò duplex est, alia realis, qua res ipsa datur in manus; & alia ficta, seu civilis, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium, aut similem aliam actionem lege, vel consuetudine institutam.

Dixi, ordinariè, quia licet ad acquisitionem Domini semper requiratur titulus, tamen ad eam lex non requirit traditionem in his casibus. 1. In hæreditate, cujus dominium acquiritur sola acceptatione hæreditatis. l. 23. ff. de Acquir. vel amitt. poss. 2. In legato, cujus Dominium acquiritur, ubi primum hæres hæreditatem adiit. l. 66. ff. de Furt. 3. In Beneficiis, in quibus jus in re per solam collationem, & acceptationem acquiritur. 4. Ex titulo donationis, venditionis, aliòve simili acquiritur

Do-

Dominium civitatibus, Ecclesiis, aliisque similibus piis locis ob speciale privilegium.

Q. 4. *Quomodo acquiritur Dominium animalium?*

Resp. I. Animalia ex sua natura mansueta, & domestica, ut oves, equi, gallinæ, anseres, boves, &c. Quantumvis aberrent, & fugiant, semper remanent prioris Domini, nec fiunt occupantis. *Ita omnes. ex institut. de rer. divis.* ubi dicitur furati, qui hæc animalia detinet, cum effugiunt; nam hæc etiam si fugerint, non assequuntur naturalem libertatem; cum naturali sua indole sint domestica: ac proinde remanent prioris Domini. Quare non licet ea capere, vel detinere, nec eorum pelles, si extincta sint. Idem dicit de animalibus ex natura sua feris, vel sylvestribus, ut sunt cervi, lepores, &c. Quæ ejus, à quo capta sunt, custodiâ, seu loco concluso coercentur; vel quæ usu mansuefacta habent consuetudinem redeundi ex libera vagatione in potestatem Domini, ut columbæ, cuniculi, accipitres, cervi cicurati, &c. Nam tamdiu carent naturali libertate. Animalia autem, quamdiu carent libertate naturali, habent Dominum, & sic non sunt occupantis. Deinde tales feræ non minus possidentur à dominis, quàm aliæ domesticæ. Hinc non licet capere pisces ex vivario alterius, nec cuniculos; aut columbas pascentes in agro tuo occidere; quam-